HORATII MASSARII CASPERIENSIS I. V. DOCTORIS.

6

Epigrammata.

AD SANCTISSIMVM D.N. CLEMENTEM VIII. PONT. OPT. MAX.

DE IPSIVS INSIGNIBVS.



Si fas colligere ex insignibus abdita; cœlum
Roma sub hoc summo cernitur esse duce.

ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. M. D. XCII.
Impensis Ioannis Martinelli.
SVPERIORVM PERMISSV.

AD EVNDEM DE PATRIS NOMINE.

CLementem ſtabili regno, imperioq; micantē
Quam benè Silueſtro conuenit eſſe ſatum.
Per ſacra Silueſtri iuſſa,atq;per inclyta facta
Nobile pontificum ſtemma,decuſq;viget,
Qui genuit ſacra illum aſpergine lucis in auras:
Cui Conſtantino nobile nomen erat.
Ille crucem regno inſeruit, ſacriſq; tyaris,
Claraq; Chriſtiadis ſceptra regenda dedit.
Tu quoquè Silueſtri ò Clemens generoſa propago
Incrementa pijs gentibus ampla refers.
Quam Conſtantinus regnis ingentibus auxit.
Tu vero amplificas cultu, & honore fidem.
Hinc tantum ſuperas illum: cæleſtia quantum
Humanis præſtant nobilitate bonis.

AD EVNDEM DE BAPTISMATE IN BASILICA LATERANENSI CELEBRATO.

PErfida in obscura prorsus caligine noctis
Stabat, & in medio gens peritura mari.
Cum forte aëreis super astitit aliger alis:
Talia qui miseris gentibus ore tulit.
O gens cæca sacram Petri conscende carinam:
Te non vna nitens stella docebit iter,
Maximus en Clemens, tanta est cui credita puppis.
Quæ nitida exoptas astra videnda dabit.
Illa viam pandent rutilantis lampadis instar,
Ac tibi pro facibus sydera semper erunt.
His dictis ardenti accensa cupidine proles:
Aspergi sacro fonte repentè petit.
Quæ grates referendæ igitur tibi maxime Clemens?
Auspice quo gestit credere turba Deo?

DE

DE EODEM BAPTISMATE.

INclytus antè aras demiſſo poplite Clemens
Viſus ab altiloqua fundere voce preces:
Accipe magne Deus conſperſos flumine natos;
Principium hinc lucis mox genus omne trahat.
Talia dicenti intonuit cœlum, annuit æther,
Agnouit q; potens regia dona Deus.
O ſummo regi ex aliȷs gratiſsima dona:
Regia tam ſacrum ianua vidit opus.
Regia tu Clemens poſuiſti his nomina natis,
Regium, & in ſacro fonte habuere patrem.
Regia quid mirum eſſe vnitam multa labori?
Cum tibi ſint Clemens omnia regna ſinu?

DE EODEM BAPTISMATE.

HIc ſplendent decora, atq; trophæa illuſtria regis,
Cui Conſtantino non leue nomen erat:
Hic ſunt nobilibus regnis, opibuſq; potiti:
Stemmata pontifices, hic peperere ſibi:
Hic lati Clemens regnator maximus orbis
Veſtrum dignatur ſpargere fonte caput.
Quanta ſit egregiȷ clementia principis; inde
Cernite, nec tantum voce ſilete decus.

A D

AD ILLVSS. ET REVERENDISS. D. PETRVM ALDOBRANDINVM.

Quæ vaga Clementis rutilant insignibus astra
Tot sunt, vt cœlum fingere posse rear.
Qui pluuias ergò hoc sperat deducere cœlo:
Ex fratris nato sæpe requirat opem:
Cui Petri nomen meritò posuere parentes:
Manalem verè quis neget esse petram?
Romula quam proles tota ferre vrbe solebat:
Vt manaret aquis terra, polusq; nouis.
Id quod erat falsum; nunc verum est: Petrus ab alto
Aethere dum pluuias, donaq; larga mouet.
Hinc mihi sperandum refici cœlestibus vndis:
Præsidium leuibus dum voco dulce modis.

AD EVNDEM DE IPSIVS NOMINE ET PATRIA ORIGINE.

SEu petra pōtificis precioſa es maxime Petre,
Seu flos purpureus: plaudit vtrunq; tibi.
Magni cum patrui referant inſignia cœlum:
Vnde tener labi ros, pluuiaq; ſolent.
Ille etenim gemmas inter conchilia gignit:
Purpureos flores hæ quòq; ſæpe ferunt.
Hæc tibi ſemper erunt igitur Petre inclyte laudi
Ros, pluuia, & cœlum, gemmaq; floſq; ſimul.

AD

AD ILLVSS. ET REVERENDISS. D.

CYNTHIVM ALDOBRANDINVM.

QVàm meritò Cynthi cœlesti hoc nomine fulges:
Cum tua facta alacri sedulitate micent.
Hinc ego te solem cœlo contemplor in illo,
Quod patrui terris regius vmbo tulit.

AD EVNDEM.

ERipe magnanime ò Cynthi me nubibus atris:
Cum velut athereus Cynthius ipse mices.
Me licet aspicias vacuum virtutis honore,
Nec minimis videas gentibus esse parem:
Magna tamen spero: quoniam ampla potentia solis,
Exiguas atomos semper ad astra trahit.

Laus Deo Virginiq; Mariæ.